

# PIM LAM.

## Fructus Areca & Bethel folium.



Reca Arbor simillima Palmæ, nisi quod magis patula folia, altioremq;  
hastam & subtiliorem habeat, floriferum ramum, sicut & Palma, de  
medio foliorum ejicit, ex floribus ovalis figuræ viridis Coloris, magni-  
tudine nucis avellanae fructum producit, qui amota albâ pulpâ, & viri-  
di cortice, carnem in colore, humanis unguibus simillimam, sed mollissimam ha-  
bet, quæ tamen quando maturescit & siccatur, rejecto cortice & stamine Casta-  
neo, fibris rubris referta appareat.

Folium Bethel, omnino simile Piperis folio, aromaticum est, & solum si co-  
medatur, stomachi cruditates corrigere potest, serpit viminis ad instar, arundinibus  
sustentatum. In universâ Orientali India, & Insula Haynan, quatuorq; Sinenibus  
Australibus Regnis, Quamsy, Yunnan, Quamatum, Fokien, Arecæ fructus cum Be-  
thel folio usus maximus viget; obvij deferunt in facculis unum, & mutuò sese invi-  
tant. Tunchini verò loqui cum alio non potes, quin primo Bethel & Arecam ob-  
lata recipias, & eodem modo tu quoque vicissim rependas illam vrbanitatem: ve-  
rùm in hac Regione saepè toxicum inferitur fructui, ideo pleriq; magni, qui timent  
venenum, alieno seposito fructu, proprium viva calce, ex ostreis adustis præparata,  
injunctum commandunt. In Regnis Industan, Cocino, & Mogol, Divites Indi  
gemmea calce, ex Algrofar confecta illinunt Bethel folium, complicatumq; cum  
fructus Arecæ medulla, sive recenti, (quæ mollis) sive sicca (quæ dura) ori imposi-  
tum, magna cum sua voluptate masticant, & succum primum, sanguineum refe-  
rentem colorem exspuunt, sed sequentem ex iterata masticatione expressum deglu-  
tiunt, atque sic commansum & exsuctum folium, cum Areca ex ore proijciunt: fit  
inde ut per diem integrum labia rubentia nec ingratii aspectus appareant, ac etiam  
os bene redoleat. Afferunt per hoc stomachi calorem plurimum roborari: Qui  
assueverunt duo prædicta sumere, difficile sibi possunt ab illorum esu temperare.  
Medici areca subinde in medicinis utuntur; in Japonem & alias vicinas Regiones,  
in quibus non nascitur, sicca venalis portatur. Imaginem Arboris neglexi  
apponere, quod similis sit Palmæ, Bethel verò folium, piperis  
& perfimile folio.

Pro-